

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Friedrich Korfey Martin Raden

## **Disputatio De Emptione Venditione**

Rostochii: Praelo Reusneriano, 1608

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72866786X>

Druck Freier  Zugang



R U zur 1608  
Friedr Kerfey  
Res. Martin Rode



43

42

Kauf  
Verkauf

# DISPUTATIO De **EMPTIO-** **NE VENDI-** **TIONE,**

*Quam*

Deo duce & auspice,

Permissu & autoritate amplissimae Facultatis Juridicæ  
in celeberrima Rosarum Academia,

Præside

Clarissimo & consultissimo viro,

D N. FRIDERICO Korfeyen

I. U. D.

publici exercitij gratia discutiendam

proponit

MARTINVS RADEN PADERB. VV.

Habebitur disputatio in auditorio magno iō. Iulij initio  
ad horam 6. matutinam facta.

I. D. 102. 2.

ROSTOCHI.

Prælo Reusneriano ANNO 1608.



L-Q 1272

## T H E S I S I.

**M**ptio venditio est contractus jurisgentium, nominatus, bonæ fidei, consensu initus de re certo pretio commutanda.

2. In quo rem distrahens vendor, pretium numerans emptor dicitur.

3. Substantialia emptionis venditionis tria sunt, consensus, res, & pretium.

4. Quæ nisi omnia interveniant, contractus erit nullus.

5. Num verò commune genus est emptionum: nisi quis puras à conditionalibus, & eas quæ solo consensu sine scriptura fiunt, ab his quæ in scriptis perficiuntur, distinguere velit.

6. Causa efficiens præcipua hujus contractus est consensus: nam emptio & venditio contrahitur, simulatq; de pretio purè & simpliciter convenerit; quamvis pretium nondum numeratum, nec res tradita sit.

7. Ideoq; etiam consensum in emptionibus & venditionibus debere intercedere, palam est. l. 9, in pr. ff. b. 3.

8. Cæterum sive in ipsa emptione contrahentes dissentiant, sive in pretio, sive in quo alio emptio imperfecta est. d. l. 9, in pr.

9. Si igitur ego me fundum emere putarem Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putas: quia in corpore dissensimus, emptio nulla est. d. l. 9. in pr.

10. Idem est, si in ipso corpore non erratur, sed in substantialia seu materia rei error sit: ut puta, si acetum pro vino, æs pro auro, plumbum pro argento veneat. d. l. 9. § 2.

11. Sed quid dicemus, si in materia ambo errarent: ut puta, si & ego me vendere aurum putarem, & tu emere, cum æs inauratum esset? venditionem esse constet ideoq; quia auri aliquid habuit. l. 14. ff. b. t.

12. Nam si inauratum aliquid sit, licet ego aureum putem, valet venditio. d. l. 14.

13. Quod si in nomine dissentiamus, verum de corpore constet, nulla dubitatio est, quin valeat emptio & venditio. d. l. 9. § 1.

14. Et si ego me virginem emere putarem, cum esset jam mulier, emptio subsistit. l. u. § 1 ff. b. t.

15. Verum ex empto competit actio ad resolvendam actionem, ut pretio restituto mulier reddatur. l. u. § 5. de act. empt.

16. Et quidem in hunc contractum emptionis venditionis consen-

A 2  
tire;

tire, eumq; contrahere possunt omnes, qui vel natura, vel lege non prohibeantur.

17. Natura prohibentur infantes, & furiosi : nullum enim eorum esse consensum manifestum est. l. 2. C. de cont. empt.

18. Lege impediuntur pupilli : cum nullius rei alienatio eis sine tutoris auctoritate concessa sit. §. ult. in fin. Instit. quib. alien. lic. vel non.

19. Minor quoq; quinq; & viginti annis curatorem habens, si post pupillarem ætatem rem vendiderit, hunc contractum servari non oportet. l. 3. C. de in integ. rest. min.

20. Si verò sine curatore constitutus contractum fecerit, implorare in integrum restitutionem non prohibetur. d. l. 3.

21. Et si sciens rem emam ab eo, cui bonis interdictum sit, dominus istius rei non ero. l. 26. b. t.

22. Sic etiam is, qui officij causa ad tempus in provincia agit, vel militat, prædia comparare in eadem provincia non potest. l. 62. in pr. ff. h. t.

23. Nisi paterna ejus à fisco distrahantur, vel specialiter ei hoc concessum sit à Principe. d. l. 62. in pr. l. 46. in fin. h. t.

24. Eodem modo tutor rē pupilli ( nisi hoc fiat palam & bona fide ) emere non potest : idemq; porrigidum est ad similia. l. 34. § fin. ff. eod.

25. Nec inter patrem & filium, nisi de rebus castrenibus, aliiisque ad filium pleno jure pertinentibus, emptio rectè contrahitur. l. 2. in pr. ff. eod.

26. Quin & inter Medicum & ægrotum, aliasque certas quasdam personas venditiones contractæ de jure non subsistunt.

27. Materia circa quam emptio venditio versatur, est res & pretium.

28. Et quidem sine re, quæ veneat, nec emptio, nec venditio intelligi potest. l. 8. in pr. ff. b. t.

29. Rerum verò omnium, quas quis habere, vel possidere, vel persequi potest, venditio rectè fit. l. 34. § omnium. i. ff. eod.

30. Ideoq; non tantum res corporales, sed & incorporales, mobiles, & immobiles, singulares, & universales emi vendi possunt.

31. Fructus etiam, & partus futuri rectè emuntur : ut cum editus eset partus, jam tunc, cum contractum esset negotium, venditio facta intelligatur. d. l. 8. in princ.

32. Sed si partus omnino non nascantur, nec fructus proveniant, ab initio emptio nulla fuisse videtur : nisi hoc culpa venditoris contigerit.

33. Aliquando & sine re venditio intelligitur : veluti cum quasi alea emitur : quod sit, cum captus piscium, vel avium, vel missilium emitur. d. l. 8. § 1.

34. Em-

34. Emptio enim contrahitur, etiam si nihil inciderit: quia spei emptio est. d. l. 8. §. 1.
35. Annorum quoquè redditum emptionem (modò non sit usuria) esse licitam defendemus.
36. Quin & rem alienam bona fide distrahere quem posse nulla est dubitatio. l. 28. ff. b. t.
37. Cum qui vendidit, necesse non habeat rem emptoris facere. l. 25. §. qui vendidit. 1. ff. eod.
38. Hoc tamen casu emptori res evictione auferri potest: & emptor evictionis nomine venditorem vicissim obligatum habet. d. l. 28. l. n. §. 6. in primis. 2. de. act. empt.
39. Eatum verò rerum, quas natura, vel jus gentium, vel mores ciuitatis commercio exuerunt, nulla venditio est. l. 34. §. omnium j. ff. b. t.
40. Natura hominum commercio exemit liberum hominem, & res quæ per naturam tradi nequeunt.
41. Rerum igitur eatum quæ à natura tradi nequeunt, nulla venditio est.
42. Nec liberum hominem scientes emere possimus. d. l. 34. §. 2.
43. Sed & talis emptio admittenda non est, cum servus erit: cum fas non sit, ejusmodi casus exceptare. d. l. 34. §. 2.
44. Licet certo quodam modo l. 2. C. de patr. qui fil. suos distr. expressio, patribus liberorum venditio sit concessa.
45. Ius gentium hominum commercio exemit res sacras, & religiosas: ideoq; loca sacra vel religiosa frustra quis sciens emit. §. fin. Instit. b. t.
46. Quod adeò verum est, ut ne æde sacra terre motu diruta, locus (cum non sit profanus) venire possit. l. æde sacra 73. ff. eod.
47. Quæ tamen regula indistinctè non semper procedit: res enim sacræ ob redemptionem captivorum, & alias certas quasdam causas, de quibus vid. Dd. in §. sacræ res. 8. Instit. de rer. divis. vendi possunt.
48. Et si forte non specialiter locus sacer, vel religiosus venierit, sed emptioni majoris partis accesserit, ex empto competit actio l. in modicis 24. ff. b. t.
49. Verum cum præcedentia de emptore sciente dicta sint, quid dicendum erit? si res sacras, vel religiosas pro profanis, vel privatis deceptus à venditore quis emerit? habebit actionem ex empto, quod non habere ei liceat, ut consequatur, quod sua interest, eum deceptum non esse. §. fin. Instit. b. t.
50. Idemq; juris est, si hominem liberum pro servo quis emerit,

51. Nisi forte liber homo major viginti annis ad pretium partici-  
pandum, sese venundari passus sit: cum is servus emptoris fiat. *s. ser-  
vi autem. 4. Inst. de jur. pers.*

52. Motibus civitatis publicæ res, quæ non in pecunia populi, sed in  
publico usu habeantur, emi vendi prohibitæ sunt. *l. si Celsus. 6. m pr. ff. b. t.*

53. (Ita tamen ut & in his rebus eadem distinctio, quam inter em-  
ptorem scientem & ignorantem suprà tradidimus, observetur, si forte  
vendantur.)

54. Quæ verò in patrimonio fisci sunt, venditio earum valet. *l. pacta.*

52. *s. fin. ff. eod.*

55. Eodem quoq; jure rerum furtivarum, & vi possessarum emptio  
venditio prohibetur.

56. Si verò earum rerum venditio forte fiat, & emptor solus sciat,  
furtivum vel vi posseddum esse, quod venit, non obligabitur venditor:  
**nec** tamen ex vendito quidquam consequitur, nisi ultrò, quod conve-  
nerit, præstet *l. 34. s. item si. 3. ff. b. t.*

57. Quod si venditor sciat, emptor ignoraverit, utrinq; obligatio  
nascitur. *a. l. 34. s. item si. 3.*

58. Ventionem etiam non recipiunt res litigiosæ, & restitutioni  
subjectæ, nisi certis quibusdam casibus.

59. Nec veneni mali emptio contrahi potest, nisi illud aliquo modo  
adjectione alterius materiæ usui nobis esse possit. *l. 35. s. 2. ff. eod.*

60. Quin & feudum, vel emphiteusis, sine Domini consensu, & res  
quædam alia, citra solemnia juris requisita, vendi nequeunt.

61. Sic etiam moribus civitatis purpura, & sericum privatis, arma,  
vinum, aliudve liquamen barbaris, & quædam res alia certis quibus-  
dam hominibus vendi prohibentur.

62. Sed etsi res in commercium cadant, nonnunquam tamen earum  
impeditur venditio:

63. Senatus enim censuit, ne quis domum villamve negotiandi cau-  
sa, ut diruatur, emeret, venderetve. *l. senatus. 52. ff. b. t.*

64. Sux quoq; rei emptio non valet, sive sciens, sive ignorans  
emi: sed si ignorans emi, quod solvero, repetere potero. *l. sua rei. 16.  
ff. eod.*

65. Si tamen ab initio agatur, ut possessionem quis emat, quam for-  
te venditor habuit, rei sua emptio valet. *l. 34. s. rei sua. 4. ff. b. t.*

66. Et cum tota re etiam nostram partem emere possumus. *l. quod si  
13. in fin. ff. de in diem addict.*

67. Sub

67. Sub conditione quoq; id, quod meum est, emere possum: quia forte speratur meum esse definere. *l. existimo. 61. ff. b. t.*

68. Pretium quod attinet, illud etiam constitui oportet: nam nulla emptio sine pretio esse potest. *in fin. pr. Inst. b. t.*

69. Ideoq; si universa venditio donationis causa fiat, in totum venditionem non valere dicimus. *l. si quis. 38. ff. eod.*

70. Si verò villore pretio res donationis causa distrahatur, venditio valet: nisi inter virum & uxorem fuerit contracta. *d. l. si quis. 38.*

71. Imò & numerā vno aliquando venditionem contrahi posse putamus.

72. Porrò pretiū quod constituitur certū esse debet. *s. sed & i. Inst. eod.*

73. Eiusmodi igitur venditio, quanti tu fundum cum emisti, vel quantum pretium in arca habeo etiam valet, cum non incertum sit pretium, sed magis ignoretur, quanti emptus sit, quam in rei veritate incertum sit. *l. 7. s. i. ff. hic.*

74. Verū si mox inveniatur, quod fundus non sit emptus, vel quod nihil in arca habeat, videtur quasi sine pretio facta venditio, ideoque nulla est. *l. si quis. 37. eod.*

75. Et si inter aliquos ita convenerit, ut quanti Titius rem estimaverit, tanti sit empta, siquidem ille pretium definierit, tunc omnimodo secundum ejus estimationem & pretium persolvatur, & res tradatur, & venditio ad effectum perducatur. *s. sed & j. Inst. b. t.*

76. Sin autem Titius vel noluerit, vel non potuerit pretium definire, tunc quasi nullo pretio statuto, pro nihilo est venditio. *d. s. sed et. j.*

77. Sic quoq; in vendentis vel ementis voluntatem simpliciter collata conditione comparandi, quia non adstringit necessitate contrahentes, emptio venditio nulla est. *l. in vendentis. 13. C. eod.*

78. Præterea pretium in numerata pecunia consistere debet. *s. item pretium. 2. Inst. b. t.*

79. Alioqui si res pro re detur contractus emptionis venditionis non erit.

80. Verū si ex intervallo pretij causa non pecunia numerata, sed pro ea alia res in solutum consentienti detur, ex hoc venditio non constituitur irrita. *l. pretij. 9. C. de rescind. vendit.*

81. Formam emptionis venditionis quod attinet, eam in consensu de re certo pretio commutanda, præcipue consistere certum est.

82. Consensus autem ille, quoad modum contrahendi emptionem, in præ-

in praesas negotium conceptus , verus mutuus , perspicutus & clarus esse debet.

83. Si tamen obscurus sit, nihilominus venditionem valere constat : sed obscuritas illa nocere debet ei, qui potuit, re integra, legem contractui apertius dicere. l. 21. l. 34. in pr. ff. h. t.

84. Invitum quoq; comparare vel distrahere postulantis desiderium, justam causam non continet. l. invitum C. eod.

85. Licet ob laxitatem dominorum in seruos, vel si Respublica, aut civitas aliqua prematur annonæ inopia, aliisq; certis quibusdam casibus res proprias ( pretio tamen plerunq; justo) vendere cogi quis possit.

86. Et quidem non tantum inter presentes, sed & inter absentes, per nuntium, & per literas, tam sub conditione, quam pure emptio contrahi potest. l. 1. in fin. ff. h. t. §. emptio. 4. Instit. eod.

87. Sub conditione, veluti, Si Stichus intra certum diem tibi placuerit, erit tibi emptus aureis tot. d. §. emptio. 4.

88. Scriptura quoq; ad emptionem recte contrahendam, necessarium non requiritur, nisi in scriptis contrahentes perfici emptionem velint,

89. Quin & sine arrhis emptio contrahi potest : quod enim arrha nomine pro emptione datur, non eod pertinet, quasi sine arrha conventione nihil proficiat, sed ut evidenter probari possit, convenisse de pretio. l. 35. in pr. ff. eod.

90. Pacta etiam huic contractui adduntur variæ, ex quibus frequenter sunt, in diem additio, lex commissoria, & pactum de retrovendendo , de quibus alias.

91. Præterea cum plerunq; eveniat , ut quod alteri superest , alteri desit : nec tamen semper concurrat, ut cum tu habeas, quod ego desiderem, invicem ego habeam , quod tu accipere velis. l. 1. in pr. ff. h. t.

92. Ideo emptio venditio introducta est, ut difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniatur, & res necessaria inter homines communicentur. d. l. 1. in pr.

93. Effectus emptionis venditionis est, quod de contractu jure perfecto, alterutro invito, nullo recedi tempore bona fides patiatur. l. 3. C. de rescind. vendit.

94. Si vero arrha intervinerint , dubitatur quid sit dicendum ? nos tam emptorem, quam venditorem , licet ille arrhas amittere, hic duplicitas restituere vellet , alterutro invito à perfecto contractu etiam non posse recedere defendemus.

95. Porro perfecta emptione rei quoq; venditæ periculum statim ad empto-

emptorem pertinet; tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit. *S. cum autem 3. Inst. b. t.*

96. Itaq; si res vendita tota, vel aliqua ex parte consumpta fuerit, vel deterior esse cœperit, emptoris dænum est, cui necesse est, licet rem non fuerit dæctus, pretium solvere. *d. S. cum autem. 3.*

97. Sed & si post emptionem rei venditæ aliquid per alluvionem, vel alio quodam modo accesserit, ad emptoris commodum pertinet: nam & commodum ejus esse debet, cuius periculum est. *d. S. cum autem. 3.*

98. Quod si sub conditione res venierit, siquidem defecerit conditio, vel pendente conditione res interierit, nulla est emptio: quod si conditio extiterit, & res non extincta, sed solummodo deterior effecta fuerit, emptoris est periculum. *l. necessario. 8. ff. de per. & com. rei vend.*

99. Nisi forte hoc ipsum convenerit, ut res periculo emptoris servatur: hoc enim pactum valere putamus. *l. 10. in prin. ff. cod.*

100. Quod si vinum ita venierit, ut degustaretur, quoad degustaverit, periculum acoris & mucoris ad venditorem pertinebit. *l. 4. S. si aver- sione. 1. ff. de peric. & com. rei vend.*

101. Rerum quoq; earum, quæ pondere, numero, mensurave con- stant, antequam admensæ, adpensæ, adnumeratæve sint, periculum ven- ditorem respicit.

102. Cum rerum earum venditio non aliter videatur perfecta, quam si admensæ, adpensæ, adnumeratæve sint. *l. 35. S. in his. 5. ff. b. t.*

103. Nisi forte aversione venierint: tunc enim idem juris est, quod in ceteris rebus.

104. In venditione alternativa, puta Stichi aut Pamphili, prioris pe- riculum ad venditorem, posterioris ad emptorem respicit. *l. 34. S. si em- pio 6. ff. b. t.*

105. Si generaliter aliquid vendatur, veluti bos, vel equus, ante tra- ditionem venditori perimitur.

106. Verum quæ diximus ita procedunt, si per neutrum steterit, quo minus res interierit: alioqui utrius venditoris, vel emptoris dolo aut culpa id contigerit, ejus etiam periculum erit.

107. Quod si uterq; emptor & venditor moram adhibuerit; æquum est, posteriorum moram nocere. *l. illud. 17. ff. de per. & com. rei vend.*

108. Sed si res vendita per furtam, sine dolo & culpa venditoris, perierit: animadvertisendum erit, an custodiæ ejus usq; ad traditionem venditor suscepit; nam si suscepit, ad ipsius periculum is casus per- tinet. *S. cum autem. 3. Inst. b. t.*

109. Si

109. Si nihil appareat convenienter, talis custodia desideranda est a venditore, qualem bonus pater familias suis rebus adhibet, quam si praestiterit, & tamen rem perdiderit, securus esse debet. l. 35. § si res. 4. ff. b. t.

110. Ut tamen vindicationem rei, & conditionem exhibeat emptori. d. l. 35. § si res. 4.

111. Idem etiam est de furti, & de damnae injuria actione. d. § cum autem 3.

112. Sed si hasce actiones non habeat, ut quia rem alienam venderit, ob id ipsum certe damnandus erit. d. l. 35. § si res. 4.

113. Deniq; ad effectum emptionis venditionis quoq; pertinet, quod ex ipso contractu duplex actio, empti scilicet, & venditi, oriatur, qua ad implementum ejus agi possit.

114. Actio empti emptori ejusque heredi (pretio soluto, aut realiter oblato) adversus venditorem eiusque heredem, ad rem venditam, una cum accessionibus & fructibus, a tempore contractus ex re vendita perceptis, tradendam competit.

115. Et quidem rem ipsam venditor praescire tradere tenetur, nec praestare interesse liberatur, modò ejus tradendæ facultatem habeat.

116. Ita non tantum simpliciter rem tradere, sed & vacuam ejus possessionem praestare debet.

117. Quamvis si res justo tempore legitimè non tradatur, emptor etiam in id, quod interest, recte agere possit. l. i. in pr. de act. empt.

118. Quæ rei traditio, siquidem dominus fuit venditor, facit & emptorem dominum: si non fuit, tantum evictionis nomine venditorem obligat. l. jj. §. & in primis. 2. ff. eod.

119. Si modò pretium solutum, aut satis eo nomine factum, vel etiam sine ulla satisfactione fides de eo habita sit. l. 19. ff. b. t.

120. Redhibitionem quoq; ob morbum vitium rei venditæ, quod reticuit venditor, quodve latebat, contineri empti judicio Iustus Vlpianus probat. l. jj. §. redhibitionem. 3. ff. de act. empt.

121. Quin & is, qui pecus morbosum, vel rigorum vitiosum ignorans vendidit, id ex empto actione praestare tenetur, quanto minoris fuisset empturus, si id ita esse scissim. l. 13. in pr. ff. eod.

122. Si vero sciens reticuit, & emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, ei praestabit. d. l. 13. in prin.

123. Deniq; quicquid dolo & culpa venditoris abest, quicquid praestari convenit, & quicquid inter contrahentes legitimè actum est, in hoc judicium venit.

124. Ex

124. Ex vendito actio venditori, ejusq; heredi (re vendita plenè tradita) competit ad ea consequenda, quæ ab emptore præstari oportet. l. 13. §. ex vendito. 19. ff. de aet. empt.

125. Veniunt autem in hoc judicium non tantum pretium (quod emptor venditoris facere cogitur) sed & usuræ pretij post diem traditionis & moræ. d. l. 13. §. veniunt. 20.

126. Sic quoq; venditor hac actione ex vendito sumptus, qui facti sunt in re distracta, consequi potest. d. l. 13. §. 22.

127. Item ex vendito rectè agitur, ut emptor res emptas tollat, l. 9. ff. eod.

128. Et si quid inter contrahentes nominatim convenerit, ut id fiat. d. l. 13. §. item §. 23.

129. Cæterum etsi regulariter jure factas venditiones semper ratas manere, tam emptoris, quam venditoris intersit. l. ratas. 7. C. de rescind. vend.

130. Nihilominus tamen aliquando dissolvuntur: re enim integra ab emptione & venditione utriusque partis consensu recedi potest. l. 1. C. quan. lic. ab empt. difc.

131. Etenim quod consensu contractum est, contraria voluntatis adminiculo dissolvitur. d. l. 1.

132. Verum post traditionem interpositam nuda voluntas non resolvit emptionem, si non actus quoq; priori similis retro agens venditionem intercesserit. d. l. 1.

133. Sic quoq; si uterque & emptor & venditor in dolo fuerit, nihil actum erit: dolo inter utramque partem compensando, & judicio, quod ex bona fide descendit, dolo ex utraq; parte venient, stare non concedente. l. 57. in f. de com. empt.

134. Et si emptor vel venditor ad contrahendam emptionem dolo induxit etus fuerit, emptio quoque nulla erit.

135. Si vero venditor dolo causam contractui non dederit, sed de artificio, aut de peculio servi dolosè mentitus fuerit, ut pluris eum venderet, empti judicio tenebitur, ut præstet emptori, quanto pluris servum emisset, si ita peculiatus fuisset, vel eo artificio instructus. l. 13. §. si venditor. 4. de aet. empt.

136. Quod si dolus non intervenerit, sed in re ipsa fraus fuerit, ob id solum venditio non rescinditur.

137. Cum in pretio emptionis & venditionis naturaliter licet contrahentibus se circumscribere. l. 16. § 4. ff de minor.

138. Nec

138. Nec res bona fide vendita, propter minimam causam inempta fieri debeat. *l. res bona. 54. ff. de cont. empt.*

139. Si tamen venditor ultra dimidiam partem veri pretij, quod fuerat tempore venditionis, lassus fuerit, beneficio *l. 2. C. de rescind. vend.* ei succurritur, ita ut emptor rem venditam, pretio recepto, ei restituat, vel quod justo pretio deest suppleat.

140. Et quidem beneficium *d. l. 2.* non tantum in rebus immobiliibus, sed & in mobilibus locum obtinet.

141. Daturque tam empori, quam venditori.

142. Quin & ad locationem, permutationem, divisionem, non item ad transactionem, aut adversus tertium possessorem *d. l. 2.* beneficium produci potest.

143. Denique & alijs quibusdam modis emptio venditio rescinditur, vel etiam annullatur, de quibus videantur. *Wes. in par. ff. de resc. vend. n. 6. Vult. 1. Iurisp. Rom. 35. in fin. & alij.*







124. Ex vendito actio venditori; ejusq; heredi dita) competit ad ea consequenda, quæ ab empto l. 13. §. ex vendito. 19. ff. de act. empt.

125. Veniunt autem in hoc judicium non tam emptor venditoris facere cogitur sed & usuræ pretios & moræ. d. l. 13. §. veniunt. 20.

126. Sic quoq; venditor hac actione ex vendito in re distracta, consequi potest. d. l. 13. §. 22.

127. Item ex vendito rectè agitur, ut empto l. 9. ff. eod.

128. Et si quid inter contrahentes nominatur d. l. 13. §. item si. 23.

129. Cæterum etsi regulariter jure factas vendit manere, tam emptoris, quam venditoris intersit. vend.

130. Nihilominus tamen aliquando dissolvuntur ab emptione & venditione utriusque partis consequentia, quæ ab empto disc.

131. Etenim quod consensu contractum est, a miniculo dissolvitur. d. l. 1.

132. Verum post traditionem interpositam non solvit emptionem, si non actus quoq; priori similitudinem intercesserit. d. l. 1.

133. Sic quoq; si uterque & emptor & venditor actum erit: dolo inter utramque partem compensatio ex bona fide descendit, dolo ex utraq; parte veniente. l. 57. inf. de cont. empt.

134. Et si emptor vel venditor ad contrahendendam induetus fuerit, emptio quoque nulla erit.

135. Si vero venditor dolo causam contractui artificio, aut de peculio servi dolosè mentitus fuerit, empti judicio tenebitur, ut præstet emptori, qui emisset, si ita peculiatus fuisset, vel eo artificio induxit. 4. de act. empt.

136. Quod si dolus non intervenerit, sed in id solum venditio non rescinditur.

137. Cum in pretio emptionis & venditionis trahentibus se circumscribere. l. 16. §. 4. ff. de minori.

enè tra-  
portet.  
(quod  
aditio-

ui facti  
tollat,  
id fiat.

er ratas  
rescind.

integra  
test. l. 1.

untatis

non re-  
vendi-

it, nihil  
o, quod  
conce-

m dolo

sed de

um ven-  
servum

si vendi-

erit, ob

eat con-

., Nec




Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No. 047